

tam esse, vt prope vrinariam vesicam iaceat, vrethramque ex ea progredientem fere ambiat, et per quosdam ductus liquorem spissum in ea praeparatum vrethrae in oestro venereo immittat, qui deinceps cum virili semine, per eiaculatorium ductum, ex vesicularum collo prodeuntem, vrethrae etiam infuso, mixtus in conspectum prodit ^{a)}. Vasorum denique lymphaticorum non internis minus, quam externis partibus generationi inseruientibus circumpositorum mentionem sunt, qui iniiciant ^{b)}, neque nos a vera harum partium natura multum alienos esse putamus, si horum vasorum copiam, eamque ingentem iisdem tribuamus, praesertim cum pauca duntaxat in humano corpore inueniantur loca, quae iisdem destituuntur.

Iam, cum haec ex anatome repetita pro nostro scopo sufficiant, allaborandum nobis in eo esse, opinamur, vt de praecipuo harum partium vsu quaedam addamus, atque hac ratione ad ipsam argumentum propius veniamus. Sanguinem itaque per spermaticas arterias testiculis illatum, eam pati in iisdem mutationem, vt tenuior, seminique conficiendo vtilissima pars per feminifera vasa a crassa secedat, et ad epididymides vehatur; crassa vero a venis spermaticis, testicularum substantiae aequae immixtis resorbeatur, atque tandem ad vniuersum circulum reducatur, cum aliis persuasum habemus. Quanquam autem omnes in eo consentiunt, quod testiculis separandi ex arterioso sanguine seminis, epididymidibus contra eiusdem recipiendi et per deferentia vasa ad vesiculas propellendi munus tribuendum sit, nos tamen, quo minus iisdem adstipulemur, variae prohibent causae. Ac summa quidem earum eo redire videtur, quod ille liquor, qui in testibus inest, quoad spissitudinem non minus, quam

A 3

colo-

a) Plura de his partibus qui nosse cupit, adeat REGN. de GRAAF libellum de virorum organis generationi inseruientibus, Operibus EIVSDEM Amstelod. 1705. editis insertum, et BOERHAAVII Praelectt. in proprias Institutiones cum Ill. HALLERI annotationibus, Vol. V. Part. I. §§. 641 - 648.

b) Vid. Ill. HALLERI Prim. Lin. Physiolog. Laufann. 1771. §. 817.